



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Dominica xxi. post pentec.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

ueniet ampliore[m], quanto in præsenti uita iustus
 Iohā. 14. uixerit. ipso dño dicente: In domo patris mei mā
 siones multæ sunt.

Videntes autem turbæ, timuerunt, & glo
 rificauerunt deum, qui dedit potestatem ta
 lem hominibus. ¶ In hoc loco declaratur, quan
 tum inter doctam malitiam, & sanctam simplicita
 tem distet. Scribis enim deum blasphemantibus, tur
 bæ, quæ minus erudita erant, eius opera uidentes,
 cum timore & admiratione glorificauerunt deū.
 Sed & hoc quotidie fit in ecclesia in conuersione
 peccatorum, quia dū quilibet facinorosus publi
 ce ad deum conuertitur, & per pœnitentiam cura
 tur, multi in eius conuersione immensam dei pie
 ratem glorificant. Iuxta superiorem sensum turbæ
 quæ timent, immundi spiritus intelligi possunt, &
 uidentes peccatores per domini incarnatione[m] de
 sua potestate eripi, timore & admiratione cœcussi
 sunt. Vnde & per obsessum hominē loquebantur:

Matt. 8. Qui d nobis & tibi fili dei? uenisti ante tēpus tor
 quere nos? Et ut euāgelista ait, Multū rogabāt eū
 Luc. 8. damonia ut non eos mitteret in abyssum.

DOMINICA XXI. POST PEN
 tecosten, ad Ephesios V.

Fratres, Videte quomodo caute ambule
 tis, non q̄si insipientes, sed ut sapientes. ¶ Al
 loquitur Apostolus Ephesios, & in illis omnes ho
 mines hortatur, ut caute & considerate uiuant sic
 ut sapientes, & nō sicut insipientes. Fratres autem
 illos uocat in fide & in societate dilectiōis, q̄a unū
 patrem deum omnipotentem habemus, non per
 naturam, sed per adoptionem. [Videte fratres, [id

est, considerate, [quomodo caute & ordinate ambuletis & uiuatis, & conuersemi in medio nationis prauę & peruersę. Nō quasi insipientes, id est, infideles, qui non habent sapientiā ueram (id est, Christum) in se habitantem: [sed ut sapientes.] id est, fideles, qui sapientiam substantialem in uobis habetis. Quanta enim distantia est inter tenebras & lumen, inter fidelem & infidelem, tāta distantia est inter insipientem & sapientem: quia lumen & sapientia non potest esse in eo, nisi fidem omnipotentis dei habeat. Redimētes tēpus, quoniam dies mali sunt.] Quomodo est tempus malum, quod secundum dispositionem dei semper uoluitur, mēsis, diebus & noctibus, horis, momentis, & currentibus? Sicut ergo dicitur mala esse domus, quę malos inhabitatores habet: ita dicuntur mali dies, in quibus mala fiūt a malis hominibus. Quid est quod dicit, tempus redimētes? Id est, uerbum illud facite, uerbi gratia: Alij uendunt illud, mala operando ad malum suum: uos redimite illud, uobis talia opera faciendo, pro quibus remunerationem capiatis. Quicumq; enim hoc facit quod sibi est utile, tempus sibi redimit & acquirit: quia suum illud facit, & in suam salutem illud occupat. [Propterea] subauditur, quia dies mali sunt, [nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quę sit uoluntas dei.] Prudens homo dicitur quasi prouidens, id est, porro uidens: quia longe considerat quę finem sua opera habitura sint: & qui scit quid debeat appetere, & quid uitare: & qui considerat etiam, quę placeant aut quę displiceant deo. Contra ille qui inconsiderate & improuide omnia agit, & qui nō considerat ad quem finem opera sua de-

ducat, & quid placeat uoluntati dei, appellatur imprudens & stultus. Vnde dicit Apostolus: Propterea, inquiens, quia dies mali sunt, in quibus multa mala fiunt, nolite fieri imprudentes siue inconsiderati, sed estote intelligentes quæ sit uoluntas dei, id est, quid placeat deo, & in quibus operibus uoluntas dei impleatur. Et nolite inebriari uino, in quod est luxuria, sed implacemini spiritu sancto. ¶ Per luxuriam debemus intelligere omnia uitia, quæ per ebrietatē solent euenire: quia ut quidam doctor dicit, ebrietas nullum uirtutum exusat. Sed hoc notandum est, quia sicut illi qui replentur uino, replentur inuerecundia, impatientia, luxuria, impudicitia, superbia, cæterisque uitijs: ita illi qui replentur spū sancto, replentur castitate, humilitate, mansuetudine, cæterisque uirtutibus. [loquentes uobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritalibus.] ¶ Nobismetipsis loquimur, quando alternatim canimus psalmoa. Psalmi dicuntur a psallendo, quia in psalterio inueniuntur. Hymnus Græce, Latino elequio sonat laus dei. Hymnus autem si componitur & nō cantatur, non est hymnus. Si uero componitur & cantatur, sed nō in laudē dei, non est hymnus. Si uero componitur & cantatur in laudem dei, tūc est hymnus. Hymnos autē apud Latinos, præcipue Ambrosius & Hilarius clarissimi uiri composuerūt. Bene igitur cum dixit, in canticis, subiunxit, spiritalibus: quia sunt cantica quæ non sunt spiritalia neque in laudem dei cantantur, sicut sunt cantica secularium hominum. Cantica autem spiritalia sunt, quæ composuerunt prophete spiritus sancto afflati & repleti, ut sunt cantica Moyse, canticum Annæ, canticum Debboræ, can-

ticum Isaia, canticum Ezechie, ceterorumq; prophetarum. Hoc uero distat inter canticum & psalmum, quia canticum ore solummodo profertur & decantatur, psalmus autem ad id quodam instrumento musicæ artis, id est, psalterio.

cantantes & psallentes in cordibus uestris domino. **I**tem Ideo dixit, cantantes in cordibus uestris: quia multi sunt qui cantant solummodo ore, quorum mens non concordat uoci: & qui magis attendunt ad sonoritatem uocis, ut auditoribus placeant, quam considerent mente quid dicant. Illi uero cantant in corde, quorum mens concordat uoci, iuxta illud beati Benedicti: Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet uoci nostræ.

Gratias agentes semper pro omnibus in nomine dñi nostri Iesu Christi, deo & patri.
¶ Pro omnibus beneficijs nobis a deo gratis datis, uel pro omnibus prosperis & aduersis, debemus semper gratias agere deo & patri, id est, deo omnipotenti patri, qui omnibus creaturis est deus & pater, id est, creator & factor. Et quomodo? In nomine domini nostri Iesu Christi, dicentes ei: Gratias tibi referimus domine sancte pater, quia nos per filium tuum fecisti & redemisti, & regnum patriæ celestis aperuisti. Et ideo in nomine domini nostri Iesu Christi gratias referre debemus deo patri, quia pro illius mediator noster est. preces & sacrificia nostra offerimus & transmittimus ad deum patrem, dicentes: Suscipe domine preces populi tui per dominum nostrum Iesum Christum filium &c.

Subiecti inuicem in timore dei.

Sicut auditores & subiecti suis prelati subditi

sunt causa obediētiæ & reuerentiæ, sic debent etiā
 prælati humiliare se erga subiectos, inquantū ui-
 dent illos æquales sibi in uirtutibus & uitæ meri-
 tis: inquantū autē uidēt illos erigi in superbiā con-
 trase, & uitia sectari, debent officiū suæ præpositu-
 ræ ostendere, & fortiter redarguere & increpare.
 Quod p̄bati potest ex factis apostoli Petri, qui cū
 uidisset. Cornelium centurionē cū omni domo sua
 humiliter se uelle adorare, e contra humiliavit se il-

Act. 10. li, dicens: Surge, nam & ego homo sum. Vbi autē ui-
Actu. 5. dit Ananiam & Sapphiram a uia ueritatis recede-
 re, & uitijs subiacere, potentiam sui officij & præ-
 posituræ ostendit, solo uerbo illos interficiens. Sed
 ista omnia in timore Christi sunt agenda, id est, p̄
 amore dei, non causa adulationis neq; patrocina-
 tionis, quod quidā faciunt, ut possint inuenire gra-
 tiam prælati, & liberius q̄d eos delectat opentur.

DOMINICA XXI. POST PEN-
 tecosten. Matth. XXII.



In illo tempore Lo-
 quebatur Iesus cū di-
 scipulis suis in parabo-
 lis, dicēs: Simile factū
 est regnum celorum
 hoī regi, qui fecit nu-
 ptias filio suo. Et reli-

Cum frequenter re-
 gnum celorum in
 euangelio nomi-
 natur, nō incōgrue sem-
 per unam eandemq; habet significationem, sed ali-

quando dominum Iesum Christum, aliquādo do-
 ctrinam sancti euangelij, aliquā celestem patriam,
 aliquā presentem significat ecclesiā. Dñm Iesum Chri-
 stum, sicut ipse ait: Regnum dei intra uos est. Do- **Luc. 17.**
 ctrinam sancti euangelij, sicut ipse Iudæis hanc re-
 cipere nolētib⁹ dixit: Auferetur a uobis regnū dei,
 & dabitur genti faciēti fructus eius. Cælestem pa- **Mat. 21.**
 triā, ut est illud: Beati qui psecutionem patiuntur
 ppter iustitiā, qm ipsoru est regnū cælorum. San **Mat. 5.**
 ctā ecclesiā, sicuti alibi ait: Qui soluerit unū de mā **Ibid.**
 datis istis minimis, & docuerit sic hoīes, minimus
 uocabitur in regno cæloru. Ergo in hoc loco re-
 gnū cælorum presentem significat ecclesiā, id est,
 cōgregationē iustoru, in q̄ dñs nō solū regnat, sed
 etiā q̄scit, sicut scriptum est in Salomone: Anima **Sapi. 7.**
 iusti, sedes sapientiæ. Sunt nōnulli, q̄ hanc eandē le-
 ctionē esse putant, q̄ Lucas sub appellatiōe cœnæ
 descripsit, sed q̄dam inter se diuersa cōtinere uide **Luc. 14.**
 tur: q̄a ibi cœna, hic prādiū notatur: ibi nullus q̄
 intrauit, egressus legitur: hic q̄ cum ueste nuptiali
 nō intrauerat, cū magno dedecore expulsus narra-
 tur. Nā q̄uis cōsuetudo antiq̄s fuerit, semel in die
 prandere, & hoc cōuiuū & prandiu & cœna uoca-
 retur, apud nos tñ usitatus post prandium cœna
 restat, post cœnā uero nullū conuiuium remanet.
 Vnde per illam cœnam ecclesia figuratur, qualis
 erit in futuro: per hoc uero prandium, qualis est in
 presenti. Homo iste rex, spiritaliter deus om̄ipo-
 tens est: filius eius dñs Iesus Christus, de q̄ per Psal- **Psal. 71.**
 mistam dicitur: Deus, iudicium tuum regi da, &c.
 Qui fecit nuptias filio suo, quando p̄ incarnatiōis
 mysterium ei sanctā ecclesiam sociauit, non habē
 tē maculā neq̄ rugam, de qua per Apostolū dici-

tur: Despondi enim uos uni uiro uirginē castā exhibere Christo. In nuptijs uero duo iunguntur, spon-
2 Co. 11. sus & sponsa. Sponsus enim Christus est, de quo p
Iohā. 3. Iohannem dicitur: Qui habet sponsam, spon-
 sus est, Amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gau-
 dio gaudet, ppter uocē spōsi. Spōsa sancta ecclesia
Ose. 2. est, cui per prophetam dicitur: Sponsabo te mihi
Apo. 19. in iustitia & ueritate. De his nuptijs Iohannes in
& 21. Apocalypsi loquitur, dicens: Beati qui ad cōnā nu-
 ptiarum agni uocati sunt. Et iterum: Vidi ciuitatē
 sanctam Ierusalem descendentem de cælo, a deo
 paratam, sicut sponsam ornata m uiro suo. Thala-
 mus huius sponsi uterus genitricis fuit, de quo ad
Ephē. 5. coniungēdam sibi ecclesiam, uelut sponsus de tha-
 lamo suo processit. Vnde cum Apostolus expone-
 ret testimonium, quod primo homini dictum fue-
 rat, Propter hoc relinquet homo patrem & matrē
 & adhærebit uxori suę, & reliq. continuo adiecit,
 diceos: Sacramentum hoc magnum est. Ego autē
 dico in Christo & in ecclesia.

Et misit seruos suos uocare inuitatos ad
 nuptias. ¶ Si seruum legerimus, ut nonnulla ha-
 bent exemplaria, Moysen intelligere debemus: si
 autem pluraliter seruos, patriarchas & pphetas
 accipere possumus. Misit ergo seruos suos uocare
 inuitatos ad nuptias, quia incarnationis suę my-
 sterium per patriarchas & prophetas longe ante
 dicere uoluit: qui plurimos ad Christi nuptias uo-
 cauerunt, quia p spiritum sanctū aduentū Christi
 pꝛeuidentes alijs annunciauerunt. Sed ualde dolē-
 dum est quod subdidit: [Et nolebant uenire.] Et
 pulchre dicitur [Nolebant uenire.] q̄a plurimi p
 pphetas annunciatū audierunt, sed tū uenturum

minime crediderunt. Offert deus quod rogari debuerat, non rogatus dare parat^o est, quod uix credi potuit, ut largiri dignaretur etiam postulatus. Sed reprobi ad nuptias uenire nolunt, quia eius iussionibus per multa opera contradicunt. Quia sunt nonnulli, qui non solum ea quae sibi conueniunt, a deo non postulant, uerum etiam oblata sibi accipere renuunt. Nec tamen diuina pietas contemnentes se contemnit, cū ad eos qui uenire uolebant, iterum misit alios seruos. Serui qui secundo mittuntur, apostoli sunt intelligendi, qui post domini incarnationem ad praedicandum euangelium sunt missi. Qui tūto securius aduentum Christi annuntiauerūt, quāto ab ipso ore ueritatis huberius uerbum diuinū audierūt. Sed quia plerūque apud auditorū mentes plus exempla quam uerba proficiunt, restat in secunda inuitatione dicitur:

Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paratum, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. In tauris & altilibus utriusque testamenti sanctos patres accipimus, ueteris scilicet ac noui. Taurus enim erectae ceruicis est animal, cornua in capite gerens, quibus se defendat, & minora animalia terreat. Unde & per tauros non incongrue patres ueteris testamenti accipimus, qui dum ex promissione legis acceperant, ut dei suosque inimicos corporaliter ferirent, quasi in capite cornua gestabant. Sed in praeparatione nuptiarum tauri occisi sunt, quia cum incarnatione Christi patres ueteris testamenti praedicerent, nonnulli interfecti sunt, alij secti, ut Isaias, alij lapidati, ut Ieremias. Altilia autem dicta sunt quasi alitilia, quae nos uulgari locutione manu pasta, id est, sagina

ta appellare consueuimus. Ergo per altitia apostoli eorumque iuccestores figurantur, qui dum terrenas diuitias contemnere, & caeleste regnum amare didicerunt, quasi altitia penna contemplationis sese ad alta sustollere nouerunt, dicentes cum Apostolo: Nostra autem conuersatio in caelis est. Qui cum ab ipsius domini ore doctrinae pabulum acceperunt, quasi manu pasti sunt, tantoque breuius spiritali pinguedine sunt saginati, quanto manifestius & perfectius eiusdem spiritus sancti dono sunt repleti, ut cum Psalmista dicere possint: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Et iterum: Impinguaisti in oleo caput meum. Sed in preparatione nuptiarum Christi cum tauris altitia sunt locuta, quia patres noui testamenti pro praedicatione euangelij corporaliter interierunt. Alij crucifixi sunt, ut Petrus: alij decollati, ut Paulus: alij lapidati sunt, ut Stephanus: alij igne cremati, ut Laurentius: alij lacerati, & secundum Apostolum, Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. Omnem autem occasionem excusandi aufert rex cum dicit: [Omnia parata.] Omnia enim parata sunt, quia ille singularis agnus occisus est, in cuius figura oia praecesserunt. Siue certe omnia parata sunt, quia nullum exemplum uirtutis est sanctorum, quod ad nostram imitationem in operibus eorum manifestatum iam non sit. Iam enim innocentiam Abel audiuius, obedientiam Abrae, castimoniam Isaac, tolerantiam Iacob, mititiam Moyfi, misericordiam Dauid, patientiam Iob audiuius, & finem domini uidimus. Sed reprobi omnes dum terrenis diuitijs acquirendis studiose inhiant, non solum feruorum dei exempla imitari contemnunt, sed

Phil. 3.

Psal. 62.
& 22.

Heb. 11.

Iac. 5.

etiam ipsius domini uerba inuitantis audire negli-
gunt. Vnde & subditur:

Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius
in uillam suam. ¶ Quid per uillā, nisi terrena sub-
stantia, designatur? Ad uillam quippe uadit, q̄ ter-
rena superflua diligens, caelestem patriam non re-
quirit. Cum q̄ naturalem intellectum non in serui-
tuo dei, sed in terrenis commodis occupat, non so-
lum ad uillam, sed etiam ad negociationem su-
am pergit. Vnde bene subditur:

Alius uero ad negociationem suam.

¶ Quid per negociationem, nisi calliditates & in-
genia figurantur? In negociatione uero hoc agit,
ut quod uilius emitur, carius uenundetur. Quicū-
que ergo arte uel ingenio iniusta lucra appetit, q̄-
si ad negociationem pergens, ad nuptias dei ueni-
re cōtemnit. De talibus sine dubio ait Apostolus: **1. Tim. 6.**
Qui uolunt diuites fieri, incidant in tentationem
& laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, q̄
mergunt hominē ad interitū & perditionē. Et q̄s-
quis his deditus fuerit, necesse est ut nō solū mēda-
cia, uerū etiā piuria incurrat. Qui autem eis deser-
uierit, ad nuptias Christi (ut diximus) uenire conte-
mnit. Vñ Apostolus ait: Nemo militans deo, impli- **2. Ti. 2.**
cat se negocijs secularibus, ut placeat illi cui se pro-
bauit, Et Iacobus: Qui uoluerit amicus esse seculi **Iac. 4.**
huius, inimicus dei constituitur.

Reliqui uero tenuerunt seruos eius, & cō-
tumelia affectos occiderunt.

Inter eos qui uerbum dei audire negligunt, & eos
qui nuncios persequuntur, magna distātia est. Sunt
nonnulli qui nec uerbum dei audire dignantur. &

PP

sunt alij, qui uerbum dei audiunt, sed opere imple
re contemnunt. Sunt alij etiam, qui non solum uer
bum dei despiciunt, sed etiam prædicatores uerbi
odij & gladij persequuntur. Illi uero districte da
mnandi sunt, qui uerbū dei non audiunt: sed illi di

Luc. 12. strictius, qui auditum implere negligunt, quia sic
ut dominus ait in euangelio: Seruus nesciens uo
luntatem domini sui, & non faciens, plagis uapu
labit paucis: sciens autem & non faciens digne, pla
gis uapulabit multis. Seuerius namq; illi adhuc iu
dicandi sunt, q; manus a persecutione prædicatorū
continere non possunt. Vnde & subditur:

Rex autem, cū audisset, iratus est & missis
exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuita
tem eorum succendit. ¶ Quæ similitudo si speci
aliter ad populum Iudæorum referatur, manifeste
pater quia seruos dei contumelijs affecerunt, quan
do (sicut ait liber Actuum apostolorum) ibāt gau

Actu. 5. dentes discipuli a conspectu cōciliij, quoniam di
gni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pa
ti.

Actu. 7. Stephanum quoq; lapidauerunt, & Iacobum iu
stum præcipitātes de pinnaculo templi, occiderūt.
Quod cum audisset rex, illis in malitia perseveran
tibus, mittens duos Romanorum principes, cum
exercitib⁹ suis, Vespasianum scilicet & Titum, pa
trem utique & filium, perdidit homicidas illos: ci
uitatem quoq; illorum, id est, præcipuam Ierusalē
igne succenderunt, ita ut iuxta domini uocem, nō

Mat. 24. sit relictus in ea lapis super lapidem. Si autem ge
neraliter hæc parabola ad omnes reprobos refe
ratur, datur intelligi quia non solum in anima
bus, sed etiam in corporibus damnandi sunt, qui
uerba inuitantis dei audire negligunt, Exercitus

enim regis noseri, angelici sunt spiritus unde dñs
 sabaoth, id est, dominus exercituum dicitur. De qui
 bus ait Daniel: Millia millium ministrabant ei, &
 rel. Missis ergo exercitibus suis, perdidit homici-
 das illos, quia omne iudicium in hominibus per
 angelos suos impleturus est, sicut ipse ait in euan-
 gelio: Mittet filius hominis angelos suos, & collig-
 ent de regno eius omnia scandala, & mittent ea
 in caminum ignis ardētis. Ciuitas namq; reprobo-
 rum, propria sunt illorum corpora: quia sicut ad
 tempus homo in ciuitate manet, ita anima inhabi-
 tat in corpore. Non solum ergo homicidæ perdū-
 tur, sed etiam ciuitas succenditur quia usq; ad iudi-
 cium reprobī in animabus, & post iudicium etiam
 cum corporibus damnabuntur. Sed quia superius
 hunc regem dei omnipotentis speciē tenere dixi-
 mus, queritur, quomodo iratus dicatur, cum in na-
 tura dei nulla ira, nulla mutabilitas cadat, teste
 Psalmista, qui ait: Deus iudex iustus, foris & pati-
 ens, nunquid irascitur per singulos dies? Ad quod
 dicendum, quia multis in locis scriptura sacra mo-
 re nostro loquitur, ut occulta dei iudicia per uisibi-
 les res intelligātur. Sicut enim rex terrenus iratus
 dicitur, quando in subiectis uindictam exercet, sic
 deus omnipotens illis iratus uidetur, quos iusto iu-
 dicio propter peccata damnat & punit: cæterū in
 sua natura semper immutabilis, semperq; trāquil-
 lus permanet. Cui per quendam sapiētem dicitur:
 Tu autem domine sabaoth cum tranquillitate iu-
 dicas, & cū magna reuerentia disponis nos. Et per
 Prophetam: Ego sum deus, & non mutor.

Dan. 7.

Mar. 13.

Psal. 7.

Sapi. 12.

Mala. 3.

Tunc ait seruis suis Nuptiæ quidē paratæ
 sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Itē

PP ij

ergo ad exitus uiarū, & quoscunq; inueneritis, nō cate ad nuptias]. ¶ In his uerbis domini manifeste Iudæorum repulsio, & gentium uocatio designatur. In uia enim quondam Iudæi stabant, quando deum cæli cognoscentes, legalia præcepta obseruabant. Sed domino ueniente in carne, hi quia inuitati erant, non fuerunt digni: quia non credendo in eum, quem promissum habebant, fecerunt se esse indignos. Sed nunquid quia Iudæi uenire nolunt, locus nuptiarum dei uacuus remanebit? Absit. Nā protinus serui ad gentium uocationem mittuntur cum dicitur: [Ite ergo ad exitus uiarum.] De exitibus ergo uiarum gētilis populus uocatus est, quando nullam dei cognitionem habens, ab idolorum cultura ad credulitatem dei adductus est. Sed quia non ad solos Iudæos hanc parabolam, sed ad nos pertinere credimus, sicut uias actiones accipimus, sic exitus uiarum defectus dicimus actionum. Sunt enim nonnulli, qui non facile ad deum conuertuntur, nisi prius prosperitas huius seculi eis deficiat, sicut scriptū est: Et tantummodo uexatio intellectū dabit auditui. Et Psalmista: Cū occideret eos, quærebant eum, &c. Frequenter enim nonnulli diuinis flagellis percussi, ad salutem redeunt, qui si in prosperitatibus seculi permansissent, utiq; periret, quibus per prophetam dicitur: Virga & flagello castigaberis filia Sion, ut non discedat zelus meus a te. Tales significauit ille puer Amalechites, de quo in Regnorum libris legitur: quia Amalechitis fugientibus, infirmus in uia remansit, quem Dauid persequens. Amalechitas reperit, eiq; cibum & potū tribuit, atq; postea ducem sui itineris facit. Amalechites autem, qui lambens populus interpretatur,

Isa. 28.

Psal. 77

Ieze. 23.

1. Re. 30

mundi significat amatores, qui alienis diuitijs locupletari, & extraneis facultatibus cupiūt augeri. Cum nonnulli electi cum talibus præsentis uitæ cursum communem ducere desiderant, misericordissima dei bonitate, aut flagellis atteruntur, aut paupertate artenuantur, aut aliqua necessitate constringuntur, ut etiam nolentes ad deum conuertantur. Tales non de uijs, sed de exitibus uiarum ad domini nuptias uocantur, quibus conuenit quod per Osee prophetam dicitur. Ecce ego sepiam uiam tuam spinis, & sepiam eam maceria: & sequeris amatores tuos, & non apprehendes eos: quæres, & non inuenies eos. & dices: Reuertar ad uirum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.

Ose. 2.

Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & implete sunt nuptiæ discumbentium.

In quibus uerbis manifeste ostenditur, quia (sic ut superius diximus) per has regis nuptias præfens ecclesia significatur. Ecce enim dicitur: [Egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos.] Boni namque soli nusquam sunt, nisi in cælo: mali soli nusquam, nisi in inferno. Præfens autem ecclesia, quæ inter cælum & infernum consistit, utriusque partis ciues recipit: quia multi per fidem in ecclesiam intrant, qui per uitæ meritum in regnum cælorum minime intrare possunt, de quibus per prophetam dicitur: Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Nec mirum si reprobi super numerum multiplicantur, cum inter multitudinem palearum grana tritici saluentur, & rosa quæ redolet, inter spi-

Psal. 39.

nas quæ pungunt, nasci soleat. Intrauit autem rex, ut uideret discumbentes.

Matt. 8.

Discumbere in nuptijs, est fide in ecclesia quiescere, sicut dominus alibi ait: Multi uenient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraam & Isaac & Iacob in regno celorum. Quotidie autem iste rex ad suas nuptias intrat, quia deus omnipotens actus moresque hominum subtili examine diiudicat, & qua intentione quisque uiuat, pensat: & si aliquem bonis operibus uiderit esse adornatum, hunc quasi spiritalem conuiuam secum sedere & conuiuari gaudet. Sole autem contingere, ut talis in ecclesia inueniatur, quilibet & iste fuit, de quo adhuc subditur:

Et uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem?

Queritur autem quæ sit uestis nuptialis, sine qua quisque ecclesiam intrauerit, non recipietur ad conuiuium, sed cum magno dedecore eijcietur. Vestem nuptialem non recte fidem intelligere possumus, quia sine illa ecclesiam intrare non ualemus. Nam & baptismum uestem nuptialem non accipimus, quia sine illo ecclesiam non intramus. Fidualiter ergo & absque ulla contradictione, uestem nuptialem intelligamus charitatem, sine qua quisque in uacuum ecclesiam intrat, etiam si rectam fidem se habere simulat. Recte ergo uestem nuptialem intelligimus charitatem, quia sicut uestis duobus filiis textitur, superiori & inferiori, sic charitas, duobus preceptis impletur, dilectione dei uidelicet & proximi. Filium ergo inferius, dilectionem proximi: filium superius, dilectionem significat dei. Minus enim

quam inter duos haberi charitas non potest, quia nec uere diligimus deum sine proximo, nec uere proximum sine deo diligere possumus. Vnde inter cetera ornamenta in ueste pōtificis coccus bis *Exo. 23.* tinctus poni p̄cipitur, ut scilicet in nostro bono opere charitas geminetur, ut diligamus deum toto corde, tota anima, tota mente, & proximos sic ut nosmetipsos, sicut Iohannes apostolus ait. Filii *1. Ioh. 4.* oli, hoc mandatum habemus a deo, tu qui diligit deum, diligat & fratrem suum. Et qui dixerit, quoniam diligō deum, & fratrem suum oderit, mendax est. ¶ Vel certe aliter per uestē nuptialē recte charitas figuratur, quia sicut uestis plurimis filis contextitur, sic charitas diuersis uirtutibus adornatur. Ex ipsa enim nascitur prudentia, eleemosynarum largitas, hospitalitas, inimici dilectio, & cetera his similia. Si quis uult scire quibus filis uestis charitatis contextitur, legat Paulum apostolum: Qui cum dixisset, Si linguis hominem loquar & angelorū, *1. Co. 13.* & si habuero prophetiam, & nouero omnia & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, & si distribuero omnes facultates eas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatē autem non habuero, nihil mihi prodest: continuo eiusdem charitatis mēbra enumerauit, dicens: Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, nō agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, nō cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem ueritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet. charitas nunquam excidit. ¶ Siue aliter recte charitas uestis nuptialis est, quia sicut uestis non solum

ditates corporum operit, sed etiam decorem tribuit, sic charitas non solum ceteras uirtutes generat, uel multitudinem peccatorum operit, sed etiam ornat, domino dicente. Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod uidetur habere, auferetur ab eo. Et Apostolus. Nunc manent fides, spes, charitas, &c. Mirum autem quod a amico uocat, quem cum tanta confusione a conuiuio repudiat. Ad quod dicendum, quia tropice loquens, per antiphrasin, id est, per irrationem amicum appellat, qui non meretur diligere. Ac si diceret: Amice, & non amice, Amice, per fidem: sed non amice, per operationem. Amice, quia ad nuptias uenisti: sed non amice, quia uestem nuptialem non attulisti. [At ille obmutuit] increpatus a regibus, & sine ueste nuptiali nuptias intrauerat, obmutuit: quia in illa discussione districti examinis, nec fugiendi, mentiendi, nec cuiquam se occultandi locus erit, quando non solum dei presentia, & angelorum atque sanctorum multitudo testis erit, sed etiam ipsa conscientia peccatrix semetipsam, cur peccauerit, accusabit, teste beato Iob, qui ait: Et terra aduersum me clamat. Unde in persona Iudae proditoris, siue cuiuslibet impij dicitur: Reuelabunt caeli iniquitatem eius, & terra aduersus eum consurget, & manifestum erit peccatum illius in die furoris domini. Hanc quippe districtiorem considerationem propheta cum dicebat: Neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, subauditur: locus fugiendi erit, quoniam deus iudex est. Quid autem post haec sequatur, manifestatur cum subditur: Ligatis pedibus & manibus, mittite eum in tenebras exteriores. [¶] Si quis autem uult scire, quibus funiculis peccatorum manus & pedes ligentur,

Mar. 25.

1. Co. 13.

Iob. 31.

Iob. 20.

Psal. 74

tur in pœna, Salomon manifestat, cum ait: Funiculis peccatorum suorum unusquisque cōstringitur. Et Pro. 5. Psalmista de ipsis loquitur: Funes peccatorum circumplexi sunt me. Funis enim torquendo componitur, ut longior efficiatur. & quicūque peccatis peccata addunt, quasi funē faciunt, quo in pœna ligentur. Quibus Isaias terribiliter clamat: Vae qui trahitis iniquitatē in funiculis. uanitatis & quasi funiculum plaustrum peccatorum. Ministri isti, immūdi sunt spiritus intelligendi, de quibus per Psalmistam dicitur: Immissiōes per angelos malos. Ligatio pedum, uitia & peccata significant. Quisquis autem hic ligatus habet manus uel pedes, ne bonum operetur, ne uiam mandatorum dei currat, necesse est ut illic ligatus habeat manus uel pedes: & qui undique se dilatauit in malo opere, undique constriugatur in retributione uindictæ. Digne uero peccatoris manus & pedes ligantur in pœna, quos hic habuit solutos ad culpā. ¶ Cum tenebræ semper sint interiores, & nunquam exteriores, cur iste in tenebras exteriores mitti dicitur? Ad quod dicendum, quia tenebræ interiores, cæcitas est mentis: exteriores uero, pœna infernalis. Iustum igitur est, ut post mortem in exteriores tenebras mittatur, qui dum uiveret, in interioribus tenebris, id est, in cæcitate mentis se conclusit. Quid autem ibi missus patiatur, manifestatur cum subinfertur:

Ibi erit fletus & stridor dentium.

Vbi per nomina membrorum, qualitas ostenditur tormentorū. Acriori enim fumo oculi tacti, lacrymari solent, & nimio frigore dentes stridescere. Cū ergo dicit, [Ibi erit fletus & stridor dentium,] datur intelligi, quia reprobi æterno suppli-

PP V

Iob. 14.

cio damnati, & frigus inestimabile & calorem intolerabilem sustinebunt, beato Iob teste, qui ait. A calore nimio transibunt ad aquas niuium. ¶ Vbi

Iob. 19.

etiam considerandum, quia non solum sanctorum corpora, sed etiam reproborum in iudicio resurrectura monstratur. Vnde per beatum Iob alibi dicitur: Credo quod redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea uidebo deum. Oculi enim carni sunt, & dentes ex ossibus: igitur cum dicit, Ibi erit stridor dentium, ostendit corpora reproborum, quae constant ex carne & ossibus, ueraciter esse resurrectura: ut qui in carne & anima peccauerunt, in carne & anima pariter puniantur. Quod autem ait,

Multi enim sunt uocati, pauci uero electi. magis timendum est, quam exponendum. Quod enim omnes uocati sumus, nouimus: utrum autem ad electorum sortem pertineamus, adhuc ignoramus. Tāto ergo solliciti esse debemus in bono opere, quanto inexcusabiles nos esse scimus de uocatione, ut non cum multis reprobis audiamus, Ite maledicti in ignem aeternum: sed cum electis audire mereamur, Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum a constitutione mundi. Quod

Mat. 25.

ipse praestare dignetur, & cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat deus in secula seculorum, Amen.

Ibid.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN, ad Ephesios VI.

FRatres, Confortamini in domino & in potentia uirtutis eius, &c. Post specialia praecepta, quibus admonuit Apostolus uiros & mulieres, patres & filios, dominos & seruos, sub-